



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An Ecclesia Catholica hactenus ignorârit, gratis & fide propter Christum
solùm, peccatorem iustificari. Tit. 47

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

tus sancti, & vitam credenti Catholico. Nam talis fides Catholica, est ornata dilectione, cum nullo dissentit, nullum odit. Fides autem sectaria cum alijs dissentit, & in odio pertinaciter defenditur. Ideo est inutilis & inefficax, ad apprehendendum Christi beneficia, 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem &c. non autem charitatem. & 1. Ioan. 4. Qui dicit, Diligo Deum & fratrem suum odit, mendax est. Plurimum ergo differt fides in Christum intra Ecclesiam, id est, unitatem Catholicam, ab ea quae est in Christum extra unitatem Ecclesiae. Primam habent Catholici, alteram sectarij: sed sola Catholica apprehendit gratiam, & retinet &c. Fides sine charitate nihil prodest.

Sic Augustinus libr. 1. contra Donatistas, capit. 12. Quicquid boni attulit Sacramenti sanctitas, illico tollit labes schismatis. Ideo fructus Sacramenti non manent in sectarijs, iuxta illud Matt. 18. Serue nequam, omne debitum &cæ. Est ergo medicina sine fructu. Ideo quid prodest habere sana membra & debile corpus? Hinc Augustinus Epist. 165. Si Angelus de caelo veniret &c.

Secunda utilitas, quia fides Catholica saluat, sectaria non, sicut nec Iudaica fides Iudaeum, aut Saracenicam Turcam saluat. Non ergo idem est, esse Catholicum fidelem in Christum, & esse sectarium. August. Omnis haereticus nominat Christum qualem sibi fingit &c. Vade ergo reconciliari fratri, Matt. 5. & reditus utilis erit, Fides ergo sectaria nec remissionem peccatorum, neque salutem capit.

AN ECCLESIA CATHOLICA
hactenus ignorarit, gratis & fide propter Christum solum, peccatorem iustificari.





PR Imò, fides Catholica per vniuersum mundum ab initio credidit & docuit quòd Deus gratis ex misericordia in merita nos iustificat & saluat per media, & non sine medijs ppter solū Christum. Gratis, id est, non propter antecedentia merita sicut Iudei volunt, sed propter Christum, qui est causa aut origo iustificationis, & non legis opera, aut iustitia humana. Rom. 3. 1. Ioan. 2. Secundò, media sunt fides, Sacramēta, obedientia decalogi. Per hæc media Deus distribuit Christi merita. Hæc merita apprehendunt & retinent Christi iustificationem. Mar. 1. Pet. 1. Temini, & credite Euangelio. Fides primum & potissimum medium apprehendit charitatis opera, Rom. 13.

Tertiò, discerni oportet inter merita & media. Meritum habet causam iustificationis & salutis. Et hoc solum vnicum est, id est, victima Christi, Esa. 53. Meritum non efficit, neque causa efficiens est iustificationis, sed solum instrumentum, per quod Deus operatur & distribuit gratiā. Sic fides, Sacramenta & opera decalogi, sunt solū media, per quæ meritum Christi nobis distribuitur & appropriatur. Sic: qui creditur, & baptizatus fuerit, saluus erit, Mar. vltim. Charitas retinet, fides apprehendit. Mendacia sunt, quæ catholicos nescire iustitiam fidei, sed solum legis, & non esse iustos sola iustitia legis coram Deo: impossibile est. Mereri remissionem peccatorum & vitam æternam per obedientiam legis DEI nostra obedientia per opera legis, Christus frustra mortuus est. Pap. Gal. 2. quia seipso iustificat suis operibus.

Quartò, licet nobis Deus nihil debet ex debito. Luc. 17. attamen ex gratia promissionis, vult mereri illa nostra, vltra hoc, quòd apprehendunt & retinent iustificationem, etiam ornare specialibus præmijs hac vita & post hanc vitam; & per illa nos ducere ad possessionem æternæ vitæ, 1. Corinth. 3. & 15. In grad

gradus laboris, Matthæi 25. Possidete regnum.

Quintò, hæc doctrina de medijs, primò non derogat Christi merito. Nam hæc non sunt causa iustificationis, sed solum media quibus capaces efficimur merito Christi: semper causa apud solum Christum manet, 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis. Subindè hæc doctrina excludit omnem fiduciam operum, eò quòd omnia in Christum transferuntur, 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepisti &c.

Postremò excitat, ne reiiciamus & contemnamus opera bona & Sacramenta, tanquam sordescerent. Sunt enim media, causa sine qua non iustificamur & saluamur. Ioan. 3. qui non credit, iam iudicatus est. Mat. 19. Si vis ad vitam ingredi &c. Vocatur quoque regnum Dei, merces pro bonis operibus, Matthæi 5. Fides per media Sacramentorum apprehendit Christum, & omnia dona sua, Rom. 8. & fides per obedientiam decalogi, accidentalia præmia, 1. Cor. 15. Differt stella &c. Iustificatio est remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, acceptatio personæ ad vitam æternam, & renouatio vitæ hominis: fides quidem apprehendit, sed hæc apprehensio nihil est: non proderit, nec retinetur, nisi renouatio vitæ & operum sequatur. Quid proderit scientia sine usu? Christus non iussit solum apprehendere iustificationem sola fide, sed etiam retinere, & quæ sequi debent facere, id est, poenitentiam, charitatis opera &c.

AN SOLA FIDES IUSTIFICET PECCATOREM.

TITVLVS XLVIII.

PR Imò, quoniam hoc verbum iustificari, tria includit, remitti peccatum, acceptari in filium, & ad hæreditatem æternam. Hæc tria, quoniam solus Deus facit propter Christum, idèd solus Deus est qui iustificat.